

centos ; Epirotæ ad septingentos , qui sagittis uterentur ad quingentos . Ex nobilitate quoque primarii adolescentes permulti reipublicæ hortatu se in oppidum inferre non dubitaverunt cum suo armatorum comitatu singuli : ut plerique Senatorum & magistratuum liberi ea obsidione, quos oportuit , militiæ labores & ærumnas forti animo pertulerint . Lauredanus quidem Dux Princepsque civitatis duos ibi filios & ipse in armis habuit : quos per plures item ex nobilitate cives comitati, haud parvum clientium militumque numerum secum adduxerunt . Ad priores etiam legatos Grittum Maurumque tertium legatum Joannem Paulum Gradonicum , cui ex vulnere ad Cividale Belunianum in vitæ periculum adducto Franciscus Capellus legatus successerat, Patres addiderunt, qui labores & vigiliis inter se partirentur . Postremo tormenta omnis generis, arma omnia, vectium, ligonum, reliquique ad terram fodiendam instrumenti vim ingentem , cumque iis frumenti magnum numerum, cæterosque abunde commectatus ad inopiam levandam Patavium importari curaverunt . quibus rebus omnibus accessit , ut quoniam agrestes homines, quod essent reipublicæ amantissimi, passim ab hostibus diripiebantur , vulgoque in vinculis atque in omni supplicio detinebantur , ut plerique vitam cruciatibus amitterent ; non parvus eorum numerus, ut tuti esse possent, se in oppidum intulerit , qui munitionibus instituendis magno reipublicæ usui ad celeritatem fuit . Illa quoque non postrema Patres cura cogitatioque tenuit , propterea quod existimabant ea bina flumina , quæ Patavium inferuntur, de quibus supra dictum est, esse hostes primo quoque tempore averfuros : ne tanta hominum multitudo farina deficeretur, uti molæ frumentariæ, quas jumenta verterent . omnibus in oppidi regionibus & vicis ædificarentur . nam plurimæ, antiquitus in oppido quæ erant, aqua subtracta ulli esse usui non poterant . demum , quod omni ab oppidi latere omnesque ad portas erant proppida in agrum porrecta longo pleraque tractu longisque viis, quorum partem Patavini Venetique cives animi cau-